





DISPUTATIO INAUGV.  
RALIS

DE EO QUOD  
INTEREST.

47.  
310.

46

*Quam*

Aspirante divini Numinis gratiâ:

1622, 10.

EX DECRETO ET CON-  
SENSU AMPLISSIMÆ FACULTA-  
TIS JURIDICÆ IN CELEBERRI-  
ma Argentoratensium Uni-  
versitate:

Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE HO-  
NORIBUS AC PRIVILEGIIS DO-  
ctoralibus solenniter con-  
sequendis:

*Publicè discutiendam proponit*

HENRICUS *Wermelskirchen* / EMBDÂ-FRI-  
sius Orientalis.

*In Auditorio Majori Mense Novembri.*



ARGENTORATI,  
EXCUDERAT PAULUS LEDERTZ.  

---

ANNO M. DC. XXII.

DISPUTATIO IN AVO

DE EO QUOD

DEFINIEREST

EX DECRETIS ET CON-

SENSIBUS AMPLISSIMIS HANNOVERENSIS

UNIVERSITATIS IN QUINQUE LIBROS

SCRIPTIS A GOTTFRIDO SEBASTIANO

LEOPOLDINO



ARGENTORATI

ANNO M. DC. LXX



VII.

DISPUTATIO  
DE EO QUOD INTEREST.



Vod de Restitutionibus in integrum, articulo juris celebri admodum & copioso, Iureconsultus Vlpianus sentit; utilitatem ejus tituli commendatione non egere, cum ipse se ostendat: idem de uberrima, usūque fori frequentissima

ma juris materia, quæ DE EO QUOD INTEREST tractat, non minū aptè quàm verè dici posse videtur. Nec enim, ut vulgò putatur, ex illarum est numero, quæ per desuetudinem ab usu nostrorum judiciorum remotæ, nihil jam amplius præter difficiles, ut quidam inquit, nugas, & meras subtilitatum tricas continere videntur; quarum intuitu, ex Senecæ arbitrio, subtilius esset eam contempsisse, quam nimio labore atque industriâ investigasse. Sed si quid illa difficultatis habet, (quod fateor esse quamplurimum) id tanto cum fructu atque utilitate conjunctum est, ut neminem suscepti laboris vel temporis, scrutando eandem explorandoq; consumpti, poenitere unquam possit: quandoquidem vix aquâ, igne vel aëre, in communi hominum societate frequentius utimur; quàm illi, qui in medio foro & judiciorum strepitu versantur, hâc ipsâ, DE EO QUOD INTEREST, materiâ.

A 2

dem,



dem, præ aliis nostri juris materiis nobilissimis, inprimis visa mihi fuit; cuius summa quædam capita, pro ingenii viribus, ex difficilissimis & intricatissimis, tam juris Autorum, quam Interpretum scriptis, comportarem, & pro Inaugurali disputatione publicæ disquisitioni, divinâ favente & auxiliante gratiâ, committerem. Quod ipsum cum bono Deo jam facere aggredior.

#### THESIS I.

De vocis autem doctrina initium fieri, videtur inprimis operæ pretium esse. Eâ enim neglectâ pronus admodum atque præceps in tractatione ipsarum rerum esse solet lapsus. Versatur autem vocis doctrina potissimum in duobus. In vocabuli *Interesse* Etymologia, & ejusdem ambigüè sumpti distinctione, de quibus singulis suo ordine.

#### II.

Vocabuli *Etymologiam* quod attinet, dicitur *Interesse* quasi *in re* (sc. mea, tua &c. hoc est, expedire mihi, tibi, Reipublicæ l. 1. ff. solut. matrim. Donell. 26. comm. 14.) *esse*, per metathesin literarum, nam ex istis particulis vox hæc composita videtur. Unde etiam apud probatos Autores pro eâdem aliquando legitur *in re est*, divisis dictionibus veluti in illo Livii: *Quid enim in re est aliud? si plebeiam Patricius duxerit, si Patriciam plebeius. quid juris tandem mutatur? Decad. 1. lib. 4. c. 4.* Tametsi in hac significatione non idem quod supra significet; sed ferè idem sit, quod diversum vel oppositum esse, differre vel referre; quemadmodum etiam passim in jure accipitur, ut in l. 33. in fin. pr. de usur. l. 56. pr. de contrah. empt. l. 8. §. si convenerit. 8. ff. ad Veltej. l. 4. de incend. ruin. naufrag. Ista tamen significatio ad institutum nostrum non pertinet. Molin tract. de eo quod interest n. 8.

#### III.

Ceterùm in Interpretum lectione animadvertere licet, pro nomine quoque substantivo vocabulum *Interesse* frequentissimè ab illis usurpari: cum sc. in finem, ut id quod interest, quam possit fieri commodissimè, unicâ voce exprima ut. Quod licet  
vete-

392

veterum Jctorum, Autorum quoque Classicorum, exemplo fortè destituatur; & cum idiomate linguæ latinæ minùs etiam congruere videatur (vide Bach. in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 23. §. 4. lit. b.) Non tamen propterea cum Fulgoso, Alciato & aliis hanc vocem *Interesse* nominaliter & substantivè positam, veluti ineptam reprobo; neque, pro eo quod interest, eam cum Interpretibus usurpare superstiosè detrecto; præsertim cum videam, ne ipsum quidem Romani eloquii parentem, Ciceronem, hujusmodi vel alias minùs proprias dictiones, quæ exigente usu & necessitatibus hominum rebus imponuntur, fuisse averfatū: quod ex Orat. ejus pro *A. Caccinna* colligere facile est, quando inquit: *An hoc dubium est, quin neque verborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac proprijs vocabulis nominemur?*

#### IV.

Sed pergo ad vocis *homonymiam*: & omissis significationibus ab instituto meo alienis (quæ apud Molin. in d. tract. n. 8. videri possunt) dico, *Interesse* magis propriè atque frequenter in jure utilitatem denotare, sive id quod ad nostrum commodum spectat: ut in l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 1. ff. solut. matrim. l. 4. §. 1. §. si quis rivos. II. ff. de nov. oper. nunciat. Unde etiam Jcti verbo *utilitatis* pro eo quod interest promiscuè utuntur, l. 11. §. fin. l. 21. §. 3. de act. empt. l. 81. §. 1. de v. o. l. 14. §. fin. de furt. l. 9. §. ult. ad exhibend. l. 2. pr. & §. ult. de eo quod cert. loc. & c.

#### V.

Accipitur autem *Interesse*, quatenus utilitatem denotat, rursus dupliciter: Largè sc. & strictè. Largè & generaliter sumitur pro omni eo quod ad nostram utilitatem, sive principalem sive accessoriam, pertinet l. 1. pr. l. 21. §. 2. l. 30. §. 1. de act. empt. d. l. 14. §. fin. de fur. l. 23. l. 25. & l. 29. C. de Evict. & c. quâ significatione includit quoque rei ipsius principalis æstimationem. l. 9. de relig. l. 5. §. 1. de prescript. verb. l. 13. de re judicat. l. 27. pr. & l. 80. §. 1. ff. de furt. Vel etiam aliquando, si nihil amplius interfit, ad solam rei principalis æstimationem refertur d. l. 80. §. 1. l. ultim. ff. si quis in jus vocat. ubi Ulpian. id quod interest dixit, pro quanti ea res est,

A 3

arg.

arg. l. 2. in fin. ff. qui satisfac. cog. Molin. loc. cit.

VI.

Strictè ac specificè sumptum vocabulum Interesse, significat tantum utilitatem accessoriam, à re ipsâ principali, vel ejus æstimatione distinctam l. 11. §. fin. l. 43. §. fin. de Act. empt. l. 15. §. 7. locat. l. 60. & 70. de Evict. l. 1. §. 20. de tutel. & rat. distrahend. l. 27. pr. de furt. l. 193. de V. S. Vide Steph. Forcat. in Necyomant. dialog. 41. n. 3. Colleg. Jurid. Argent. lib. 42. t. 1. th. 13. Atque in hac significatione in subsequentibus sumetur.

VII.

Sequitur nunc Definitio rei ipsius; circa quam mirificè variant Dd. Accursius ad l. unic. C. de sent. que pro eo quod interest profer. ad verb. possibile, Interesse definit damnum emergens & lucrum cessans, ex eo quod aliquid fieri cessatur. Quæ definitio etiam Bart. placet, & ex Neotericis imprimis Molinæo in d. tract. n. 7. & Gœddeo ad l. 81. de V. S. n. 4. ubi eam defendit adversus Anton. Guibert. lib. 1. quest. 4. eandem impugnantem. Alii aliter definiunt. Vide Gabriel. Cattian. in tract. de eo quod inter. c. 2. Bocer. class. §. disp. 22. th. 22. & alios alibi.

VIII.

Videtur ex supradictis ita describi commodius posse: Interesse est utilitas justa circa rem, de qua agitur, consistens, quam haberemus, si damnum non dedisset, lucrumve, nobis adversarius non interceptisset per ea que sup. th. 4. sunt dicta, junct. l. 13. & l. 2. ff. rat. rem haber. l. 33. in fin. pr. ff. ad L. Aquil. l. unic. ibi: ut hoc quod revera. C. de sent. que pro eo quod inter. prof. Atque hoc modo post Cujac. in par. C. d. t. definit Interesse Colleg. Jurid. Argent. loc. cit.

IX.

Varia quoque Divisiones ejus quod interest à Dd. traditæ sunt, teste Molin. in d. tract. n. 7. in fin. quarum potiores duas in præfenti examinare libet.

Prior est vulgata Glossæ & Dd. in d. l. un. C. de sent. que pro eo quod inter. quâ Interesse in Commune, Convenum, & Singulare dividunt: licet de explicatione harum specierum inter ipsos non satis conveniat, ut testantur Molin. l. c. n. 17. & Bach. in not. ad d. disp. 23. Trentl. th. 4. lit. b. Cui rectius & magis propriè loqui videntur

tur



tur relati à Salicet. *in d. l. unic.* qui Interesse statuunt esse unum, sed quod tripliciter æstimetur: *Communiter, Ex conventione, & Singulare affectione*: ut tamen nihilominus ratione diversæ hujus æstimationis, Interesse triplex statui possit: ut hoc sensu *Commune* dicatur, quod regulariter cujusque interest; *Ex conventione*, quod ipsæ partes determinarunt, (secundum glossam, in quocunq; cōtractu; vel ut alii, in obligationibus faciendi, per subjectam pœnalem stipulationem,) *Singulare* verò quod cujusq; singulariter interest.

X.

Hanc vulgarem communis scholæ divisionem tametsi non existimem, cum Neotericis, penitus rejiciendam; sed sanè intellectam, in Interesse largè sumpto commodè retineri posse arbitror cum Molin. *in d. tract. n. 14. & 15.* Eandem tamen Interesse specialiter, *ut supr. th. 6. & 8.* accepto, minus puto convenire. Idque propterea quodd hujusmodi accessoria utilitas, sive communiter & frequentius, sive rariùs vel singulatim decedat, semper singulare Interesse ipsius est, cui damnum est datum, & ab ipso specialiter ex causis suis & circumstantiis singularibus probandum. Unusquisque enim petere debet quod sibi abest, non quod alteri. *Donell. 26. comm. 15.* Unde etiam jura de hoc Interesse loquentia signo distributivo uniuscuiusque utuntur, ut in *l. 21. §. fin. de oper. nov. nunciat. l. 3. §. si ad plures. 9. de sepul. violat. & c.* Molin. *loc. cit. n. 17. post med.*

XI.

Neque magis appellatio *Interesse conventi* huc quadrat. Quocunque enim modo illud accipies, rectiùs aliud semper nomen sibi sortietur. Dicetur enim pretiù potius rei principalis, si pro eo sumseris quod ipsæ partes in quovis contractu determinarunt; neque hoc casu appellationem Interesse propriè dicti rectè admittet. *arg. l. 11. §. fin. l. 43. in fin. de Act. empt. l. 60. & l. 70. de Evid.* Vel saltem rectiùs dicetur pœna, si pro stipulatione pœnali, faciendi obligationibus subjecta, idem sumatur. *§. fin. Instir. de V. O.*

XII.

Posterior ejus quod interest divisio, à Dd. inventa, est in *Intrinsicum interesse & Extrinsecum*: In cujus distinctionis explicatione interum non idem omnes sentiunt. *vide Molin. in d. tract. n. 13.* Nam  
Ul-



Ultramontani (hoc est Galki: qui nobis sunt Citramontani) referente Bartolo in d. l. un. n. 13. Omne illud *Intrinsicum* interesse vocarunt, quod rem comitatur quocunque vadat, ubique eodem modo se habeat, quod & Cyn. probat in d. l. un. n. 15. Bartolus autem *Intrinsicum* appellat æstimationem rei, & quod ex ipsa re immediate est, veluti fructus & partus. *Extrinsicum* verò quod occasione rei venit, non ex ipsa re. Idque subdistinguit, quod aliud comitetur rem quocunque vadat, ut hereditas servo delata; §. 10. *Instit. de L. Aquil. l. 21. & seqq. ff. eod.* aliud autem rem hoc modo non comitetur, cujus ratio nō habeatur, nisi in certo casu l. 2. §. *fin. de eo quod cert. loc.*

### XIII.

Sed neque hanc partitionem ferendam existimo. Præterquam enim quod sine lege à gloss. & Dd. conficta, etiam voces habet omninò barbaras, quas vel in Interesse latè & generaliter (multò minus strictè & specialiter, ut hoc loco) sumpti partitione divis membris imponere nulla necessitas suadet: cùm Interesse quod Bart. vocat *Intrinsicum*, rei æstimatio rectiùs dici possit, arg. l. 193. *junct. l. 23. de V. S. & l. 40. de act. empt. l. 4. de usur. l. fin. §. non solum. 4. junct. §. 1. ff. quæ in fraud. cred.*

### XIV.

Rectiùs itaque à Molinæo in d. tract. n. 12. Interesse propriè dictum dividi videtur in duas hæc species: Quarum altera est *dāni accepti*; altera verò *lucris cessantis* per d. l. unic. vers. *pen. C. de sent. qua pro eo quod inter. l. 2. §. ult. de eo quod cert. loc. l. 13. pr. Rat. rem haber. l. 11. pr. ff. ad SC. Trebell. l. 33. in fin. locat. Diss. Donell. 26. comm. 15.* qui Interesse unum semper esse arbitratur, tam respectu rei quàm æstimationis.

### XV.

Ut autem de singulis postremæ hujus divisionis membris pleniùs constare possit, utrumque describendum, & exemplis declarandum videtur. Interesse ergò *damni accepti* dicitur, quod Actori per diminutionem patrimonii ab adversario factam abest: veluti pæna, quam actor solvere cogitur, eò quod occisum vel furtivum animal sub pæna alicui præstare promiserat. l. 21. in fin. & l. 22. pr. ff. ad L. Aquil. l. 67. §. 1. de furt. Item si ex pari mularum unam  
vel

374  
vel ex quadrigis equorum unum, quis occiderit; vel si ex Comædis aut Symphoniacis unus servus occisus sit, quantum depretiati fuerint reliqui, Interesse damni accepti erit. *d.l.22. §.1.* Sic & si quis vi de fundo dejectus, fruges ex eo non potuerit colligere, atque propterea aliunde eas magno emere coactus fuerit. *l.1. §.41. de vi & vi armat.* quicquid hoc nomine ejus intererit, hujus speciei appellatione veniet &c. vide Donell. *26. comm. 22. Bocer. class. 5. disp. 22. §. 36. & seqq.*

### XVI.

Interesse lucri cessantis appellatur, quod solius rei, de qua agitur, interventu actor certo consequi potuisset. v. g. quanti res à tempore moræ pluris fuit, quàm eo tempore erat, quo actori præstari debebat. *l.21. §.3. de act. empt.* Item hereditas servo relicta, qui occisus vel surreptus est. *l.23. pr. ad L. Aquil. l.6. de vi & vi armat.* Item merces locationis ex domo ab actore non percepta, propter emigrationem inquilinorum, ex justo metu ruina vicinarum ædium. *l.28. de damn. infect.* Similiter reditus ob demolitionem idonei parietis, à vicino factam, amissi, lucrum cessans sunt. *l.37. eod. Bocer. l.6. §.41. & 42.* Lucrum verò quod emptor ex vino empto acquirere negotiando potuisset, huc pertinere non videtur *l.21. §.3. de act. empt. l.2. Rat. rem haber.* quia non solius rei, de qua agitur, interventu, sed etiam negotiationis concursu, & operâ mercatoris ad acquisitionem lucri hujus, maximè opus fuisset. *arg. l.21. versic. pretium. ff. de hered. vel act. vend. Donell. 26. comm. 23.*

### XVII.

Sequuntur nunc *Causa* ejus quod interest: quarum prima est *Efficiens*; Mora sc. vel Factum adversarii. Mora definitur à Charonda 3. *versim. 10.* injusta dandi faciendive, quod dari fierive oportet, dilatio. Eaque Interesse producit, quando adversarius nobis rem nostram non restituit, *l.3. de in lit. jurand.* vel rei nobis ex empto, stipulatu, societate &c. debitam traditionem differt. *l.1. pr. de Act. empt. l.114. de V.O. l.60. pr. pro soc.* Vel quando non fecit quod nobis stipulantibus se facturum promisit. *l.13. rat. rem haber. l.13. pr. de re judicat. l.68. de V.O.* Ex quo tempore autem mora, in bonæ fidei vel stricti juris Judiciis, commissa intelligatur, aliunde petendum est. *Vide Colleg. Jurid. Argent. lib.22. tit.1 §.50. & seqq.*

B

Facto

## XVIII.

Facto adversarii efficitur Interesse, quando nobis in re nostra damnum dat. §. 10. *Instit. de L. Aquil. l. 21. in fin. & l. 22. ff. eod.* quando rem alienam nobis vendit, quæ postea evincitur. *l. 60. & l. 70. de Evict. l. 11. §. 7. 8. & 13. de Act. empt.* quando nos in possessione turbat. *l. 3. §. ult. ff. uti possid.* vel nos in possessionem bonorum à Præ-tore missos venire prohibet. *l. 1. §. 5. ff. ne vis fiat ei.* quâdo nos de possessione rei nostræ dejicit *l. 1. §. 41. de vi & vi armat.* vel rem nostram surripit. *l. 67. §. 1. de furt. Colleg. Jurid. Argent. lib. 42. tit. 1. §. 14.*

## XIX.

Cùm ergo ejus quod interest non sit proximior alia Efficiens causa, quàm mora vel factum adversarii: consequens est, in computationem Interesse non venire detrimentum, quod ab alterutra harum non fuerit immediatè productum. *arg. l. unic. ibi, ut hoc quod reverà inducitur damnum, & c. C. de sent. qua pro eo & c. Molin. in d. tract. n. 11. Wesenb. par. ff. de eo quod cert. loc. n. 6.* Ideoq; si servi emptoris fame necati fuerint, propterea quòd venditor triticum emptori non tradiderit, pretium fervorum fame necatorum emptor non consequetur. *l. 21. §. 3. de act. empt.* quia damnum hoc magis inopiæ emptoris, quàm moræ venditoris ascribendum: non enim inde mortui fuerunt, quòd tritico venditoris, sed potiùs quòd simpliciter omni tritico caruerunt. *Donell. 26. comm. 23.* Pariter nec æstimatio piscium non captorum actori nomine ejus quod interest debetur, si retia, ad pisces capiendos disposita, culpâ adversarii rupta fuerint, quia incertum erat an caperentur. *l. 29. §. 3. ad L. Aquil.* adeoque amissio lucris istius, adversarii facto immediatè imputari non poterit.

## XX.

*Materia Interesse* (à qua etiam divisio ejusdem sup. §. 14. & seqq. proposita, desumpta fuit) est damnum emergens, vel lucrum cessans. *l. unic. vers. & hoc non solum. C. de sent. qua pro eo & c.* eadem unicâ voce, *damni*, non incommodè videtur exprimi posse. *arg. l. 2 §. damnum. II. ff. ne quid in loc. publ.* Plura de hac materia vide sup. loc. cit. Hic solum circa eandem notanda restat differentia Interesse propriè dicti ab eo, quanti in litem juratum est. *l. 2. §. 1. de in lit. iurand.*

315.

*jurand. l. 64. pr. de Iudic. cuius materia non est damnum emergens vel lucrum cessans; sed potius affectio privata actoris, ex qua id ipsum etiam veram ipsius rei, vel ejus quod interest, æstimationem excedere potest. l. 1. l. 3. & l. 8. de in lit. jurand. l. 68. de R. V. l. 6. C. de rescind. vend. Hoc nostrum Interesse; nõ item. l. 33. pr. ad L. Aquil. l. 63. ad L. Falcid.*

XXI.

Ratione *Formæ* sciendum, quòd Interesse circa rem, de qua agitur, consistat, & quidem in facto magis quàm in jure. l. 24. de R. I. unde nec constitutione aliquâ, neque juris Autorum decisione certò definiri potuit. l. 32. pr. ff. de usur. sed incertum est l. ult. ff. si quis in jus vocat. l. 68. de V. O. & probatu difficile. l. fin. de stipul. Prator. §. ul. Instit. de V. O. vide Donell. 26. cõm. 23. Colleg. Jur. Argent. l. 6. §. 17.

XXII.

Atque hæc formâ distinguitur Interesse, non solùm à re ipsa principali, vel ejus æstimatione. *ut sup. §. 6. dictum est;* sed etiam ab Usuris: quia certus harum modus legibus est definitus. l. eos. 26. C. de usur. vide Molin. in d. tract. n. 92. Quamvis etiam alia possit ejus quod interest, & usurarum differentia assignari: quòd sc. Interesse (præmissis præmittendis) ex omni debito regulariter peti possit, exceptâ pecuniâ numeratâ l. 3. de in lit. jurand. l. fin. de peric. & commod. rei vend. (quamvis ex Reces. Deputat. de Anno 1606. §. So viel num. n. 144. etiã ex debito pecuniæ Interesse peti possit.) Usuræ contrà ex debito pecuniæ plerumque, *arg. d. l. fin. junct. l. 13. §. 26. de act. empr. l. 44. de Usur. & quidem regulariter duobus hisce casibus, puta si stipulatio usurarum intercesserit; vel in bonæ fidei negotiis simpliciter mora fuerit commissa, non habitâ ratione lucri per eam cessantis. l. 17. §. 13. ff. de usur. l. 60. pr. pro soc. fieri enim potest, ut quamvis pecuniam mihi debitam accepissem, nihil tamen ex illa lucrari potuissem; & tamen usuræ propter moram à debitore meo debebuntur. vide Bocer. class. 5. disp. 22. th. 30. Bach. in not. ad Tr. d. disp. 23. §. 4. lit. c.*

XXIII.

Distinguitur quoque Interesse, per formam prædictam, à Pæna Conventionali: (quam vulgò Dd. *Interesse conventum* appellant, sed minùs rectè, *ut sup. §. 11. dictum est.*) Quæ quamvis ut plurimum Interesse, quod aliàs suâ naturâ indefinitum est, quasi cir-

enimscriptum & certum faciat. §. ult. *Instit. de V. O. l. fin. ff. de Prætor. stipul.* Attamen ex quo semel in conventionem deducta fuit, jam non amplius quæritur, intersit nec ne reverà ejus, cui illa committitur; sed solum de quanta summa, & sub qua conditione conveniret. §. 19. *Instit. de inut. stipul. l. 38. §. 17. de V. O. l. 38. de recept. qui arbitr. Colleg. Jurid. Argent. loc. cit. §. 19.*

#### XXIV.

Unde consequens est, pœnis conventionalibus certum modum à legibus statutum non esse; tantum abest, ut duplum in iis regulariter excedi non possit; quod Molin. in *d. tract. n. 164.* voluit. Facit, quod Evictionis nomine etiam triplum vel quadruplum stipulari liceat. *l. 56. de Evict.* Sed neque ad quadruplum usque tantum, exemplo pœnarum legitimarum. *l. fin. C. de sponsal.* quia nihil de eo cautum: & ratio alia illarum est, quas lex invitis; alia harum, quas quisque sibi ipsi injungit. *arg. d. l. unic. in verb. certo sine. C. de sent. que pro eo & c.* quibus verbis, cum de pœnis legalibus loquantur, à contrario concludi poterit, aliarum pœnarum, quàm quæ à legibus, certos fines non esse. Nec adverfantur verba præcedentia, quibus Justin. ait, naturæ esse congruum, eas tantummodò pœnas exigi, quæ cum competenti moderamine proferuntur: siquidem illis probare solum voluit Imper. esse debere aliquem terminum ejus quod interest, æquè ac pœnarum, tam conventionalium, quàm legalium (exemplis illarum utitur, propter affinitatem, quam cum eo quod interest habent) quarum illæ cum certo moderamine à contrahentibus proferuntur; istæ verò certam quantitatem vel terminum habent à legibus. Nec tamen inde sequitur, quod planè idem earundem modus esse debeat. Donell. *26. comm. 24.* Bach. in *not. ad d. Treutl. disp. §. 4. lit. b.* Limitationem tamen rectè prædictis addunt Dd. quos citat Fachin. *1. controv. 50.* quando pœnalis stipulatio adjecta esset in fraudem usurarum. *per l. 13. §. 26. de act. empt. l. 9. & l. 44. de usur. l. 15. & 16. C. eod.* Aliam limitationem addit Donell. *loc. cit.* quando talis est causa pœnæ conventionalis, ex qua manifestè appareat, nec stipulantis, nec cujusquam alterius, ne quidem ex affectione tanti interesse posse, quantum promissum est. *arg. d. l. un. ibi, cum competenti moderamine. C. de sent. que pro eo & c.* quoniam regulariter non nisi iis casibus, quibus interesse alterius potest

1576.  
test & solet, poenam stipulari quis intelligitur, arg. l. fin. de Prator. stipul. vide Bach. l. c. lit. F.

XXV.

E semita in viam redeundo, explicandus in primis occurrit ejus quod interest *Finis & Effectus*, qui est ipsa obligatio ex qua ei, cui damnum est datum, lucrumve interceptum, ad reparandum agere licet, adversus eum, qui morâ vel facto suo effecit, ut alteri aliquid abesset. l. 1. junct. l. 2. pr. ff. de eo quod cert. loc. l. 1. pr. de act. empt. l. 70. de Eviçt. Suadet hoc æquitas naturalis. l. 4. §. 1. in fin. junct. l. 1. & 2. pr. de eo quod cert. loc. quæ cum detrimento alterius quicquam fieri vetat, & suum cuique vult tribui. §. pen. Instit. de Iust. & jur. l. 10. §. 1. ff. eod. adeoque & damnum injuriâ datum, lucrumve interceptum, non immerito, legum civilium adminiculo, resarciri præcipit. l. 11. pr. ad SC. Trebell. l. 2. §. 10. & 11. ne quid in loc. publ. l. 15. §. 7. quod vi aut clam.

XXVI.

Cæterum, quod dictum est, damno affectum agere posse, id duobus fit modis: Principaliter sc. vel minus principaliter. Principaliter ad reparationem ejus quod interest agitur, quando in locum principalis obligationis succedit Interesse, tanquam æstimationo ejus. v. g. quando res vel factum amplius præstari nequit. l. 8. §. 6. mandat. l. 72. pr. junct. l. 91. §. fin. de V. O. vel tempus præterit. l. 81. pr. eod. Sed & in plerisque interdictis succedit Interesse in locum principalis obligationis. l. 1. §. 5. ff. ne vis fiat ei. l. pen. §. ult. uti possid. l. 15. §. 7. quod vi aut clam. & c.

XVII.

Minus principaliter petitur Interesse, quando non succedit loco rei principalis, sed eidem accedit: ut in casu l. 114. de V. O. quoniam nihilominus fundi traditio peti potest, etiam si simul petatur id quod interest moram factam non fuisse. Et tunc venit Interesse Judicis officio, ut & in reliquis arbitrariis actionibus. l. 2. §. fin. & l. 8. de eo quod cert. loc. & bonæ fidei judiciis. arg. l. 49. §. 1. de act. empt. junct. l. 60. pr. pro soc. At in stricti juris Judiciis non item; quia in illis certum & determinatum omnino peti debet. arg. l. 1. de interrogat. in jur. faciend. Interesse verò incertum est. vide sup. §. 21.

B 3

Quan-

## XXVIII.

Quando autem id quod interest minus principaliter in actionem venit, Antum Judex Reum in præstationem ejus condemnare possit, etiamsi ab actore nominatim non sit petatum, in Camera Imperiali aliquando controversum fuisse, testatur Mynsing. cent. 4. observ. 55. ubi Affirmativam Dominos Camerales amplexos esse, refert. per l. 25. §. 8. ff. de Ædil. edict. Quod tamen secundum juris civilis principia ita accipiendum monet Colleg. Jurid. Argent. lib. 42. t. 1. d. 23. si v. g. bonæ fidei Actione hoc modo agatur: *Tabulas testamenti, apud te depositas, te mihi restituere bonâ fide oportere aio: quia potestate verborum bonâ fide,* Interesse contineri videtur. arg. l. 16. C. mand. colleg. Jurid. Argent. lib. 17. tit. 1. d. 31. n. 10.

## XXIX.

Judex autem in petitione ejus quod interest hoc potissimum agere debet, ut quamvis incertum petatum fuerit, in quantitatem tamen certam ipse condemnationem faciat. l. 3. in fin. C. de inutil. stipul. Quod ut, quantum posset, commodissime fieret, Sacratiss. Imperator Justin. per l. unic. C. de sent. qua pro eo quod interest profer. certam Judicibus metam posuit, & cynosuram quandam præscripsit, cujus beneficio infinitæ veterum dubitationes, atque immodicæ prolixitates, in articulo hoc juris, alioquin implicito per se satis atque perplexo, in gyrum quasi contrahuntur, & quantum possibile restringuntur, quò justa quædam inter culpam & pœnam proportio servetur. arg. l. 6. ff. de his que ut indign. junct. l. fin. de eo quod cert. loc. Molin. in d. tract. n. 57. & 60.

## XXX.

Antequam autem ulterius in prædictâ Justiniani constitutionem inquiramus, non immeritò dubitari poterit, utrum hoc quod modò dictum, à Justiniano primum introductum fuerit; an vero jam ante ipsius constitutionem jure Digestorum idem obtinuerit? Quod posterius primo intuitu videtur dicendum, propter l. 43. in fin. cum l. seq. de Act. empr. in quibus id quod interest ad duplum omnino restringi videtur, adeoq; quantitatem istam nec jure Digestorum excedi potuisse. Unde consequeretur hanc Justiniani constitutionem planè ociosam & superfluum esse,

Verum



XXXI.

Verùm enimverò, (præterquam quòd in allegatis legib. so-  
lummodò de periculo Evictionis agitur, idque venditorem ultra  
duplum subire non oportere dicitur, quia moris erat duplũ solùm  
ex ea repromittere, l. 52. & 56. de Evict. Justinianus verò generaliter  
definiverit, in casibus certis Interesse dupli quantitatem excedere  
non debere:) non loquitur Ictus indistinctè de omni sumptu vel  
damno; sed de insolito tantùm, & à contrahentibus verisimiliter  
non præviso, præter opinionem superveniente; idque ex volunta-  
rio facto emptoris; quod venditorem in immensum gravare non  
debet, ut expressè vult d. l. 43. in fin. Unde non continuò sequitur,  
eandem moderationem locum habere in cæteris casibus damni ac-  
cepti, lucrive cessantis, in quibus sine insolito quodam atque ino-  
pinato emptoris facto intersit rem non evinci quod per constitu-  
tionem Justiniani demùm effectum fuit. Vide Molin, in d. tract.  
n. 59.

XXXII.

Videamus ergo quomodo id quod interest taxari hodiè vel  
æstimari debeat. Jubet Imperator in omnibus casibus qui certam  
quantitatem vel naturam habent, hoc quod interest duplum non  
excedere. In aliis autem casibus, qui incerti esse videntur, præci-  
pit, ut Judices per suam subtilitatem inquirent, ut damnum quod  
reverà inductum, lucrumve quod amissum reverà fuerit, resarcia-  
tur, vide d. l. unic. C. de sent. que pro eo quod inter. profer.

XXXIII.

Quidnam autem per *Casus* significare voluerit Imperator,  
inter Interpretes non convenit. Nonnulli putant intelligi omnes  
contractus; Alii quælibet facta seu negotia, ex quibus obligationes  
in genere oriuntur; Alii res in contractum deductas, ut apud Mo-  
lin. in d. tract. n. 3. 21. & seqq. videre est.

XXXIV.

Ego salvo aliorum judicio, cum Molin. d. n. 3. existimo, casum  
hîc dici, non quodvis negotium: sed negotium sive factum ex  
quo, propter circumstantias, obligatio ad Interesse orta est; quod  
ipsa rubr. d. l. unic. & tota phrasis, itémque materia & decisio ejusdè  
probat, quæ est de & super casibus Interesse duntaxat.

Atque

## XXXV.

Atque iste casus dicitur *in d.l.unic.* quandoque *certam quantitatem vel naturam habere*, & consequenter certus esse; Aliquando verò incertus esse. Certam quantitatem habere dicitur, quando rem continet in certo pondere, numero vel mensurâ consistentem. *arg. l. 29. ff. de solut. junct. l. 2. §. ult. qui satisfac. cog.* Certam verò naturam; quando rem certis suis finibus ita determinatam continet, ut civiliter saltem certum quoddam totum sive integrum efficiat vel repræsentet, certamque æstimationem recipiat, quæ vice certi simpli fungi possit. *arg. d.l.unic. in verb. dupli. vide Molin. n. 75.*

## XXXVI.

Ideoque non astipulor illis, quæ verbum *natura* hîc præcisè pro aliqua substantia in specie vel in genere sumunt, quod post Cujac. *in parat. C. de sent. quæ pro eo quod &c.* Bocer. *d. class. 5. disp. 22. th. 48.* facere videtur: Sed existimo, idiplum denotare aliquod limitatum esse vel fieri, quod ab initio videri possit, quantum sit vel futurum sit. Unde non solum, si principaliter Stichus, vel fundus Tusculanus debeatur, res certam naturam habere dicetur; sed etiam, si ejus ususfructus vel factum limitatum, modò certam communem æstimationem ab initio recipiat: quod manifestè probat exemplum locationis *in d.l.unic.* Locatio enim nihil continet nisi merum factum, puta patientiam fruendi: Et tamen hoc factum certam sæpè naturam habet, quando videlicet limitatum est, & certam communem æstimationem ab initio recipit, ut in locatione domûs, vel operarum certorum dierum, &c. videre est. *Molin. in d. tract. n. 42. 43. & 73.*

## XXXVII.

Oportet autem factum ab initio per se certum esse ut certum casum efficiat; nec sufficit, ut habeat adjunctam certam mercedem, vel certam aliam correlativam obligationem; quomodo communiter Dd. post Per. Perticen. & Bart. ex casu incerto certum fieri arbitrantur, atque idèd *in d.l.unic.* casibus certis locationes annumerari, quòd certa merces in iisdem constitui solet & debet. *pr. Instit. de locat. Bocer. d. disp. 22. th. 5.* Quod, si verum esset, sequeretur omninò, etiam generale mandatum gerendi negotia, vel faciendi simile indeterminatum quid, certum casum effici, si certa quædam  
merces

merces vel stipendium eidem adjiceretur: quod ipsum non modò  
falsum, sed etiam planè iniquum videtur. Falsum ideò; quia cuius  
obvium est, rem principaliter in hanc obligationem deductam,  
gestionem puta omnium negotiorum, certam quantitatem vel na-  
turam non habere. Iniquum propterea; quòd Mandatarius vel  
similis, solvendo quantum merces vel stipendium est, ab omni  
culpæ præstatione liberaretur, & Mandatori suo vel Domino præ-  
ponenti non æquè teneretur, quàm si gratis ipsi suum officium vel  
operam præstitisset: quod neminem non dicturum puto iniquissi-  
mum. arg. l. 5. §. 2. ff. commod. vide Molin. d. n. 73. 74. & seqq.

XXXVIII.

Cœterùm circa prædicta notandum, illa verba, *certam quan-  
titem vel naturam habere*, non denotare solùm, certæ quantitatis  
vel naturæ obligationem subesse debere, ad hoc, ut casus Interes-  
se certus dici possit: sed eadem designare, quòd casus iste circa  
eandem rem versari quoque debeat, nec aliud specificum obje-  
ctum respicere. Nisi enim respectu objecti principalis id fiat,  
non poterit Interesse dici certam quantitatem vel naturam habe-  
re: cùm suâ naturâ incertum sit, & in circumstantiis facti consti-  
tat. per jura sup. d. 22. alleg. vide Molin. n. 45.

XXXIX.

Certi casus quinam sint, expositum est: proximum nunc,  
ut videamus, quodnam illud *simplum* sit, cuius *dupli quantitatem* in  
casibus certis excedere Justinianus vetat. In qua questione ite-  
rum discrepantes Dd. opiniones sese offerunt, ut apud Alciat. in  
*tract. de eo quod interest. c. 5.* & Molin. d. *tract. n. 20.* videre est. Ex qui-  
bus veriore existimo sententiam existimantium, *simplum esse*  
*æstimationem rei, certam quantitatem vel naturam habentis, &*  
*principaliter in obligatione contentæ. per l. unic. C. de sent. qua pro*  
*eo, & c.* in qua duplum necessariò ad illam refertur, eandemque im-  
plicat.

XL.

Ita in venditione verum *simplum* est æstimatio rei vendi-  
tæ, communi consensu à contrahentibus facta, quæ pretium dici-  
tur. l. 60. de Evict. l. 44. junct. l. 43. in fin. de act. empt. etiam si res reve-  
rà pluris vel minoris fuerit: quia in hoc contractu spectatur magis  
C quid



quid convenerit, quàm quid in re sit. *l. 53. pr. de Eviçt. l. 8. C. de re-  
sciind. vend. Alciat. c. 5. n. 5. Molin. n. 66. Donell. 26. comm. 20.* Quod  
contra Igneum in *l. quatenus. 24. de R. I.* etiam tùm verum existimo,  
cùm læsio est ultra dimidium justii pretii: ne videlicet melioris con-  
ditionis decipiens sit quàm deceptus; nec venditor vel emptor  
propriam allegans tuptitudinem audiatur. *contral 50. §. 1. & ibi  
gloss. ad verb. improbè. ff. de legat. 1. l. 78. §. 2. de jur. dot. vide Molin.  
n. 70.*

#### XLI.

In permutatione autem vel aliis casibus, in quibus res prin-  
cipalis ab ipsis contrahentibus certo pretio æstimari non solet,  
simplum est communis rei æstimatio, quæ tempore contractûs  
fuit. *l. 33. pr. ad L. Aquil. l. 62. in fin. de jur. dot.* Nisi fortè in diem vel sub  
conditione contractum sit; tunc enim inspici debet tempus diei  
vel conditionis existentis, quia res certò æstimari non potest, an-  
tequam efficaciter debeat. *l. 59. cum seq. de V. O. vide Molin.  
n. 71.*

#### XLII.

Ejusmodi ergo simplum est, cujus duplum in condemna-  
tionibus ad Interesse excedi non debet: quòdque duplo contineri  
debet, perindè ut in aliis casibus, quibus duplum triplumve de-  
betur, simplum regulariter ei inest. *§. tripli. 24. Instit. de Act. nisi ex-  
pressè aliud sit cautum, ut in furto. §. ult. Instit. de oblig. quæ ex de-  
lict. quod in Ininteresse factum non invenitur. Alciat. tr. de eo quod  
interest c. 5. n. 4. Donell. 26. comm. 20.*

#### XLIII.

Quod de duplo dictum est, ita accipi debet, ut sive simul &  
semel, sive pluries & particulariter ad interesse agatur, condemna-  
tio ultra duplum in casibus certis de jure fieri non possit. *arg. d. l.  
un. vers. sancimus. ubi totum interesse in casib. certis ad duplū limitatur.  
junct. l. 32. §. 1. de Eviçt.* Quare si quid antè, ex causa fortè particularis  
evictionis nomine ejus quod interest præstitum fuerit; vel etiam si  
pars quota pro diviso vel indiviso prius esset evicta, deinde verò  
totum evincatur, non dubito, quin quod ob priorem evictionem  
præstitum est, in posteriori deducendum sit, vel saltem in duplo  
computandum, quoties eo non deducto neque computato duplū  
excede-

519.

excederetur. Totum enim computari debet, ne amplius duplâ em-  
ptor consequatur, cum satis sit omnibus deductis quod plurimum  
est ( hoc est pretii vel æstimationis duplum. vide sup. th. 40 & 41.  
iunct. l. 48. de Evict. ) præstari. l. II. §. 10. de act. empt. d. l. 48. vide Mo-  
lin. n. 85.

XLIV.

Suboritur autem hîc quæstio: An idem quoque dicendum  
sit, si pluries tota res evincatur? Veluti si ob priorem evictionem,  
præstato omni eo quod interfuit, venditor loco pretii ipsam rem e-  
victam, ab evincente redemptam, emptori restituat, (quod fieri  
posse ex l. 15. ff. de dol. except. iunct. l. 67. de Evict. constat.) eaque post-  
ea ab alio rursus evincatur, an etiam tunc, quod ob priorem evi-  
ctionem præstitum est, à posteriori condemnatione deduci de-  
beat, vel in duplo computari? Et quamvis hoc primâ fronte affir-  
mandum videatur; Negativa tamen sententia cum Molin. mihi ve-  
rior videtur, propterea, quod nova hîc traditio voluntaria, atq;  
ad eò novum venditoris factum intervenit, ex quo de novo ad evi-  
ctionem obligatur, quæ nõ debet esse frustranea obligatio. arg. l. II.  
§. 2. de act. empt. vide Molin. in d. tract. n. 89.

XLV.

Videtur jam satis prædicta Justiniani regula exposita esse,  
quâ Sententiæ quæ pro eo quod interest proferuntur in casibus  
certis duplum excedere prohibentur: paucis videndum restat, an-  
non eadem etiam Exceptionem aliquam in casu quodam patiatur.  
Et quamvis Accurs., Bart. Salicet. & alii plerique Dd. taxationem  
Justiniani tam latè patere arbitrentur, ut non modò indistinctè in  
contractibus, sed etiam in delictis locum habeat: Rectissimè tamè  
à Molinæo, & aliis Neotericis: non tantùm delicta ab eadem exci-  
piuntur; sed etiam contra Alciat. isti casus, quibus etiam in contra-  
ctibus quis dolo alterius damnum patitur. ut in specie l. 13. pr. versic.  
si verò sciens. ff. de act. empt. & similibus. Nititur hoc optimâ ratio-  
ne; Non enim præsumi debet constitutionem Justiniani ad foven-  
dum delicta & indulgendum malitiis factam esse; sed potius ad ob-  
viandum illis. arg. l. 38. de R. V. Jam autem spe minoris pœnæ ad de-  
linquendum invitare videretur, si etiam in casu doli Interesse taxa-  
ret: quod, ut repugnans bonis moribus, non debet dici, nec minùs

C

post

post. d. l. un. quàm ante eam, puniri, qui hâc spe audacior factus  
est. l. i. §. i. ff. si is qui testam liber esse juss. erit & c. præsertim cum per  
dolum indignus quis reddatur, ac privetur omni beneficio. l. 37. §.  
i. ibi, neque in delictis, neque in calumniatoribus & c. ff. de minor. l. 63. §.  
7. pro soc. l. 22. in fin. de re judicat. & c. vide Molin. n. 155.

XLVI.

Ut autem propriè magis loquar, & dicam quod res est:  
Non tam videtur doli casus à prædicta dupli taxatione exceptus  
esse; (cū ex natura cōtractūs dolus à vèditiōe abesse debeat. l. 68. §.  
i. de contr. empt.) quā potius ad alterū Justinianæ sanctionis partē  
pertinere; quia dolus in d. l. 13. de act. empt. obligationi ad Interesse cau-  
sam dans, nō modò ré venditā respicit, sed omnia dāna simul, q̄ ex  
ista vèditiōe provenire possunt. Hinc fit, ut casus iste certā ab ini-  
tio quantitatem vel naturam non habeat, & consequenter ad prio-  
rem. d. l. un. partem non pertineat. quod obiter hîc notandum vi-  
deatur.

XLVII.

Hactenus ergò de casibus certis: Sequuntur nunc illi, qui,  
ut Justin. inquit, incerti esse videntur: hoc est, ut ex prædictis per an-  
tithesin colligere licet, arg. pr. Instit. de his qui sui vel alien. iur. sunt  
qui certam quantitatem vel naturam non habent.

XLVIII.

Accidit autem duobus modis; ut casus interesse certam  
quantitatem vel naturam non habeat. Primò quando negotium  
principale, ex quo propter circumstantias Interesse oritur, rem in-  
certam tantum continet, puta factum indeterminatum, vel simile.  
ut fit in obligatione mandati. l. 8. §. 6. mand. tutelæ. l. 1. pr. de tutel. &  
ration. distrahend. negotiorum gestorum. l. 2. de negot. gest. & regula-  
riter in quavis obligatione faciendi vel non faciendi. §. ult. Instit.  
de V. O. l. 13. §. 1. de re indicat. l. 75. §. 7. l. 68. in fin. de V. O. l. 21. §. 5. de act.  
empt.

XLIX.

Pertinent huc quoque Interdicta, ex quibus agimus contra  
eum, qui possessionis controversiam nobis facit: possessio enim fa-  
cti est. l. i. §. 3. & 4. de acquirend. vel amittend. possess. l. i. §. 15. si is qui  
test. liber esse juss. fuer. ac consequenter incerta. arg. l. 32. de usur. unde  
de in Interdicto uti possidetis non aestimatur pretium rei, sed pre-  
tium

320.  
tium possessionis rei. *l. pen. §. ult. ff. uti possid. adde l. 1. §. 5. ne vi fiat ei.*  
Idem in Interdicto ex quo agitur ad restitutionem operis quod vi  
aut clam factum est, quia restitutionis, ut facti, causa incerta est.  
*l. 15. §. 7. quod vi aut clam, Cuiac. in par. C. de sent. qua pro eo quod inter-*  
*est profer.*

L.

Secundò accidit ut casus Interesse incertus sit, quando ne-  
gotium principale rem quidem certam continet, non tamen i-  
stam modò, sed aliud simul incertum objectum principaliter obli-  
gatione comprehendit. *Vide Molin. in d. tract. n. 45.*

LI.

Incertus talis casus est in *l. 13. pr. ff. de act. empt. l. 45. §. 1. in fin.*  
*eod. & l. 19. §. 1. in fin. locat.* cuius etiam supra *th. 46.* mentio quæ-  
dam facta fuit. Tametsi enim ibidem certæ quædam res, pecus pu-  
ta vel tignum, negotio principali contineatur, non tamen eam mo-  
dò vendentis vel locantis dolus, ab initio accedens, respicit, sed si-  
mul omne damnum, quod ex tali negotio provenire potest: ac  
proindè unà cum re certa incertum quoque damnum principaliter  
obligatione comprehendit.

LII.

Est etiam casus Interesse huc pertinens in *l. 6. §. 4. de act.*  
*empt. & l. 19. §. 1. locat.* quo iterum quidem certa res, vasa puta vel  
dolia vendita vel locata, negotio principali continentur: verunta-  
men cum vascularii vel fabri doliaris culpa, obligationem ad In-  
teresse hoc casu producens, nudum corpus vel usum vasis non  
respiciat: sed simul prævisum infundendi liquoris periculum;  
non minùs principaliter ad hoc præstandum obligabitur, quàm  
quilibet alius in arte vel professione sua per imperitiam peccans.  
*l. 9. §. Celsus. 5. ff. locat. l. 8. in fin. ff. ad L. Aquil.* Hic autem casus pro-  
pterea incertus est, quòd præter rem certam incertum liquoris pe-  
riculum continet, *vide Molin. n. 49.*

LIII.

Denique obligationes ex maleficiis, ex quibus in id, quan-  
ti ea res est, agitur, ad incertos hos casus referendæ quoque viden-  
tur; etiam dolo cessante; ut sæpè in *L. Aquil.* Neque enim si servus

C 3

v. g.

v. g. occisus vel surreptus sit, ipsius tantum servi corpus in obligationem venit; sed omne id quod interest servum occisum vel surreptum non esse, unâ eâdemque obligatione continetur. l. 21. cum seqq. ff. ad L. Aquil. junct. l. 67. §. 1. de furt. vide Molin. u. 159. in fin. & Donell. 26. comm. 18.

LIV.

In hisce igitur incertis casibus, cum ab Imperatore commodè taxari non potuerint, taxatio Judicis arbitrio relinquitur in d. l. unic. C. de sent. qua pro eo & c. Judex tamen ibidem diligenter admonetur, ut muneris sui rationem habeat, & damnum, quod reverà inductum fuerit, actori reddi saltem jubeat, neque quibusvis machinationibus, aut immodicis partium perversionibus in circuitus inextricabiles negotium redigi patiatur.

Atque hæc ita breviter, pro instituti ratione, de hoc difficili & perplexo Juris argumento proposuisse sufficiat.

DEO SOLI  
GLORIA.





321

# COROLLARIORUM LOCO SINT.

I.

*Imperatorem legibus, quibus olim solutus erat, nec hodie teneri.*

II.

*Filium natum, ante regnum à patre questum, postea nato præferendum.*

III.

*Ius primogenito in Electoratûs Successione competens, invito auferri non posse.*

IV.

*Impuberi arrogato, sine justa causa emancipato vel exheredato, quartam omnium bonorum Arrogatoris deberi.*

V.

*De crimine falsi transigere non licere.*

VI.

*Beneficium l. si unquam. C. de revocand. donat. generale esse.*

VII.

*Iudicem tam ordinarium quam delegatum recusari posse.*

VIII.

*Ex c. pen. & ult. ext. de consang. & affin. non rectè probari, uxorem eam duci posse, quam nec divino, nec civili jure ducere licet.*

IX.

*Vasallum feudum in dotem filia dare non posse.*

X.

*Tam filium, quam agnatum feudum ex pacto & providentiâ Successione acquirere posse, etiamsi hereditatem unâ sibi delatam omittat.*

221

COROLLARIUM  
LXXXI

I. Imperatorum legibus, quibus olim solent esse, nec de  
his tenentur.

II. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

III. Imperatorum in Electoribus, quibus legibus competunt  
causis, quibus non possunt.

IV. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

V. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

VI. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

VII. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

VIII. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.

IX. Imperatorum, quibus legibus a patre suo datus, quibus  
imperialibus legibus.





Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







B.I.G.

Farbkarte #13

NAVGV.

~~47~~  
310.

QUOD  
ST.

46

1622, 10.

nis gratiâ:

ET CON-  
Æ FACULTA-  
ELEBERRI-  
Uni-

UE JURE HO-  
LEGIIS DO-  
con-

proponit  
EMBDÂ-FRI-

se Novembri.

ATI,  
LEDERTZ.  
XXII.

